

nensis et partes jugoslavicae archidioecesis Jadertinae.⁴⁹ Versus finem autem saeculi XIII vel initiis sequentis instauratae fuerunt dioeceses *Dumnensis* et *Makarskensis*, quae diffusioni sectae Patarenorum e Bosnae regionibus in Hercegovinam et Dalmatiam sese dilatanti opponerentur.⁵⁰ Makarskensis episcopatus territorium protendebatur ripa maritima a Vrulja usque ad Narentam flumen, in montanis vero quasi tota Hercegovina hodierna a parte dextra fluvii Narenta.⁵¹ Haec quoque a. 1828 privatur propria independentia et unitur dioecesi spalatensi.⁵² Dumnensis vero dioecesis territorium extendebatur planitie Duvanjsko polje, regionibus Šujica, Buško blato, Roško polje, planitie inter montes Vran et Čvrsnica atque valle fluminis Rama. Remansit superstes etiam post invasionem Turcarum, immo iurisdictionem suam ad totum episcopatum makarskense, aliquam partem dioecesis spalatensis et bosnensis extendit. Decursu tamen saeculi XVI debilitata labitur, donec demum episcopis bosnensibus concredita fuerit.⁵³

De *bosnensi* denique dioecesi, ob speciale ejus momentum in nostro tractatu, uberius quaedam dicere oportet. Prima notitia de ea conservata ascendit ad medium circiter saeculum XI, et iterum ad annos 1120—1143.⁵⁴ Diversis temporibus erat suffraganea metropolitae Spalati, Ragusii et Colocae.⁵⁵ Jam ab exordiis ejus, de quibus fontes conser-

⁴⁹ Status personalis et localis dioecesis sibenicensis et administraturae apostolicae partis jugoslavicae archidioecesis jadrensis A. D. 1928, Sibenici 1928, 86.

⁵⁰ Mandić D., Duvanjska biskupija od XIV—XVII stoljeća, Zagreb 1936, 6—7; Farlati, IV, 172 ss, 185.

⁵¹ Farlati, IV, 185; Draganović K., Kat. Crkva u Bosni i Hercegovini, 24.

⁵² Bianchi, o. c. 513 sq.

⁵³ Mandić, o. c. 7 ss.

⁵⁴ Provinciale vetus, III Civitates Dalmatiae sunt num. XX; et —VI in Slavonia, Migne PL 98, 466, 471. De tempore hujusmodi notitiarum vide Mandić, o. c. 3; Draganović, Kat. Crkva u Bosni i Hercegovini, 4—5.

⁵⁵ De ejus subiectione diversis metropolibus cfr. Farlati, IV, 42—43; Theiner A., Vetera monumenta historica Hungariam sacram illustrantia, I, Romae 1859, 204 n. 382; Hoffer A., Bosanska biskupija do turskoga gospodstva, in Spomen-knjiga iz Bosne, Zagreb 1901, 74—78, 96; Šišić F., Studije iz bosanske historije, Glasnik Zemaljskoga Muzeja, XV (1903), 328